



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio CXLVII. In cruce Domini nostri Jesu Christi omnis  
Christianorum gloria & victoria consistit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

cunctas exinde creaturas invitavit, ut in illius gloriam & honorem novum canticum depromerent: *Cantate Domino canticum novum: quia mirabilia fecit.* Pfal. 97. 1. Supra quod S. Hieronymus: *Canticum novum, ait, est Dei Filius Crucifixus, quod nunquam auditum fuerat. Nova res novum habet canticum.* Hieron. hic. *Homo quidem passus est, sed vos cantate Domino. Passus est quidem homo, sed salvavit quasi Deus.* O cantate hic omnis terra.

Idem Propheta Jersæus invitat omnes ad laudandum DEum in signum, & allegoricè in Ecclesia Dei ob redemptionem & salutem per eundem Christum crucifixum partam: *Latentur cali, & exulter terra,* Pfal. 95. 11. & quare hoc? *Quia Dominus regnavit è ligno; & subdit: Tunc exultabunt omnia ligna sylvarum.* Supra quod Fernandus: *Hæc est ergo summa arborum laus, quod exillarum genere nata, excisa, & fabricata sit* Fernand. in Gea. 1. sect. 5. *Cruce Christi, quam humeris portavit, in qua Crucifixus pependit, quam fecit imperii sui sceptrum, militiæ suæ vexillum; tantoque eam in honore habuit, ut eodem, quo Deus ipse adorationis gradu ab Angelis & hominibus colendam proposuerit. Ex quibus mente attentiore perpensis non mirare amplius, quod David de Dominica cruce prædixerit: Tunc exultabunt omnia ligna sylvarum à facie Domini, quia venit, quoniam venit judicare terram; Considera, ait S. Laurentius Justinianus, quanta sit virtus crucis: In die namque judicii sol obscurabitur, sed crux cunctis astris splendidior apparebit. O crux, o lux, o dux ad cælum.* S. Laur. Just. de ligno vitæ cap. 4.



## CONSIDERATIO CXLVII.

In cruce Domini nostri Jesu Christi omnis Christianorum gloria & victoria consistit.

*Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi. Gal. 6. 14.*

I.

**D**aniel Propheta draconem Babylonium absque gladio occidit & insignem ab eo victoriam reportavit, dum *culit picem, & adipem, & pilos, & coxit pariter: fecitque massas, & dedit in os draconis, & disruptus est draco; massa enim illa picea angustum ob-* Dan. 14. 26,  
*Ginther Unus pro omnibus.* Aaaa tura-

turavit os draconis, & impedito anhelitu & respiratione, cibo illo opletus crepuit medius. Per draconem istum serpens & draco infernalis rectè intelligitur, quem Christus Dominus non alio instrumento, quàm cruce superavit, & plenissimam ab eo retulit victoriam.

2. David Goliath suo ipsius gladio peremit, & sic gloriosior eius victoria fuit; licet enim Goliath lapide ictus corruerit in terram, non tamen statim mortuus est, sed tunc demum, ubi David illi caput amputavit: *Cumque gladium non haberet in manu David, cucurrit, & stetit super Philistæum, & tulit gladium ejus, & eduxit eum de vagina, & interfecit eum, præciditque caput ejus.* S. Augustinus per Davidem Christum, & per Philistæum diabolum intelligit, quem Christus pariter propriis ipsius armis vicit, ac debellavit; unde Ecclesia: *Ue, unde mors oriebat, inde vita resurgeret: Et qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur; in ligno enim scientiæ boni & mali vincebat in paradiso diabolum, sed in ligno crucis & ipse à Christo victus est.*

3. Similem victoriam de Holoferne tyranno reportavit castissima Judith & genere & sanctitate vitæ conspicua, de qua Scriptura: *Judith. 13. 9. Cumque evaginasset illum (gladium) apprehendit comam capitis ejus, & ait: Confirma me Domine Deus in hac hora, & percussit bis in cervicem ejus, & abscedit caput ejus, & abstulit conopeum ejus à columnis, & involvit corpus ejus truncum &c.* Per istum Holofernem Rabanus & alii infernorum principem subaudiunt propriis armis devictum: *Cruz, ait Sandæus, est gladius, quo noster David Goliathum infernalem & Judith Holofernem obruncavit, hic est gladius Domini, cui non est alter similis.*

Idem, In hujus facti memoriam solent Judæi etiamnum hodie ad lectum suarum puerperarum, aut ægrorum hominum, ubi vitæ periculum imminet, contra dæmonum insidias gladium stringere, & in omnes angulos vibrare, existimantes, sic se posse diabolum insidiantem depellere. Nos Christiani alium contra hunc animarum hostem stringamus gladium: *Cruz, ait S. Martialis Divi Petri Apostoli discipulus, armatura invicta est contra Sathanam; Et S. Ignatius Martyr: Cruz trophæum est, ac principium damnationis, mortis & ruina ejus.* Hunc enssem in omni periculosa occasione & nos audacter contra dæmonum insidias stringamus, & victoriam reportabimus, in cruce enim gloria & victoria.

4. Ad historias transeamus. Apamæa civitas cum à Cosroë Persarum Rege validissimo infestaretur exercitu, nec amplius civibus evadendi pateret locus, Thomas Episcopus, vir & sanctitate vitæ, opere & sermone potens, rogatu civium particulam authenticam Dominicæ Crucis in manibus cum Clericis suis circumtulit, & contra stotes Genti-

Gentiles velut fulminantem gladium strinxit. Et ecce subito ex eadem SS. Crucis particula egressus est ignis non comburens, sed lucens, ut omnis ille locus, ubi pretiosum hoc crucis lignum circumferebatur, præ insolito splendore ardere videretur; quod illius loci civibus lætissimum omen mox secururæ liberationis, hostibus verò signum mox imminenti cladis fuit, dum territi sine mora obsidionem solvebant, & in fugam acti magna ex parte ab erumpentibus civibus trucidati sunt. Tanti nimirum interest, gladium S. Crucis contra hostiles adhibere insultus: *Felix anima*, ait S. Bernhardus, *qua in cruce Domini gloriatur, & triumphat, tantum ut perseveret in ea, & nullis valeat tentationibus deijci.* S. Bernhard, serm. 2. de S. Andr.

5. S. Joannes Capistranus natione Italus, nobili genere natus, ac doctrinâ excellentissimus Magistro vitæ & disciplinæ Sancto Bernhardino usus est, à quo nil scire, nec velle didicit, nisi Christum & hunc crucifixum. Cum Turcæ Albam Regalem, nunc Belgradum in Hungaria magnis copiis & apparatu militum obsiderent, inter sacrificandum ei sagitta cœlitus delapsa est, in qua aureis literis hæc verba consignata erant: *Esto constans, ô Joannes*: proinde se cum Germanorum, Hungarorum & Polonorum copiis in subsidium adventantibus contra hunc infensissimum Christiani nominis hostem ad prælium accinxit, non aliâ indutus loricâ, aut gladio instructus, quam cruce Domini, quod salutare signum Christianis militibus fortiter pugnantibus, tanquam signifer præsetulit, & dulci nomine Jesu invocato in hostem ruit, ac mirandam victoriam reportavit; quod eleganti carmine recens expressit Poëta.

*Hic Franciscæ tuus Miles, tua signa per orbem  
Nominis ingenti cum pietate tulit.  
Nunc inter promachos sine telo tela repressit.  
Et CRUCE percussit signa inimica CRUCIS.*

6. Occurrit hic mihi, quod de S. Udalrico Episcopo Augustano refert Stengelius. Anno Christi 655. ingens ac formidabilis Ungaro-Carol, Steng, rum exercitus Germaniam rapinâ, cæde & incendio devastavit, qui in Chronica debellatâ Austriâ, Bavariâ & Sueviâ tandem usque ad Ellum fluvium fol. 84. penetrarunt. In hac luctuosa rerum facie S. Udalricus, velut alter Josue, ad clypeum S. Crucis confugit, quam illi Angelus de cœlo delapsus in manus porrexit. In hoc igitur signo populum Christianum in Ecclesia Cathedrali B. V. Augustæ Vindelicorum congregat, atque in tres partes dividit; una & debilior ex mulieribus & infantibus con-

Aaaa 2

Hata.

flata, in dicta Ecclesia pro liberatione patriæ supplices ad Deum preces fundere iussa est. Pars altera parùm quoque ad pugnam idonea profectionem in Urbe per forum Berlacense, ut vocant, aliasque civitatis plateas ad DEum placandum adornavit. Pars tertia ex viris fortissimis collecta, cum Sancto Udalrico stola Sacerdotali induto, & Othone Magno in Campum Lycium, ubi hostis Pannoniensis castra sua locaverat, profecta est. Ruitur animose in hostem; Imperator lanceam Christi Domini præferebat, Divus Udalricus Crucem Victorialem, ad cuius conspectum barbaræ phalanges, velut nebula ad conspectum Solis dissipata, exterrita, & ad usque interneccionem profugata sunt; Dux verò illorum vivus à Cæsareanis captus, & Augustam ab Imperatore in triumphum ductus, demum Ratisbonæ in publico patibulo suspensus est. Hanc exinde crucem Victorialem ex durissimo & ignoto ligno ab Angelo confectam S. Udalricus summo studio asservari voluit, quæ nunc auro & gemmis splendide ornata, in celeberrimo Templo SS. Udalrici & Afræ in Sacello deaurato (ubi Josephus I. à Serenissimis Sancti Romani Imperii Electoribus in Romanorum Regem & Imperatorem electus est) magna cum veneratione asservatur, & collitur, mirè potens etiamnum hodie contra tempestatum, fulminum, grandinum ac Sathanæ furias.

Lyrænsiib. 4.  
c. 6. de Chr.  
pat.

7. Similis Crux victorialis, sed palulùm longior, in qua & imago Salvatoris pretiosissimi quatuor affixa clavis pendet, in Monte Andechs, qui vulgò Mons sanctus vocatur, in superiori Bavaria inter pretiosas Reliquias religiosè asservatur, quam cœlestis quidam Genius olim potentissimo, juxta ac pientissimo Germanorum Imperatori Carolo Magno in manus tradidit, cujus ope & auspiciis hic Imperator, & filius ejus Pipinus, ac posthæc S. Ratho Illustrissimus Comes de Andechs insignes de infidelibus victorias & trophæa retulerunt. O quàm bene igitur Theophylactus: *Crux inter omnia maxima gloria Christi est*: & S. Chrysofomus: *Crux trophæum contra dæmones erectum, gladius contra peccatum. Crux Patris voluntas, Unigeniti gloria, Spiritus exultatio, Angelorum decus &c.* Et quid plura de S. Cruce requiris?

Theophylact.  
in Luc. 22.  
S. Chrysof.  
tom. 6. orat.  
in Crucem  
Domini.

8. Revertor ad Scripturam. Olim DEus quàm maximè se representabat, & manifestabat per arcam; unde toties, quoties expeditio aliqua populo Israelitico erat facienda, Moyses rogavit, ut surgente arcâ, etiam DEus exurgeret ad hostes Israelis dissipandos, ut metu correpti diffugerent, & Israelitæ confidentes in arca Domini optatam victoriam obtinerent; proinde cùm hæc arca fœderis à Levitis in altum elevaretur, Moyses solebat dicere: *Surge Domine, & dissipentur inimici tui.* Cùm autem deponeretur: *Revertere Domine ad multitudinem*

Num. 10. 35.  
vers. 36.

exot.

exercitus Israel. Supra quod pereleganter Ludovicus de Ponte: *Ita etiam, cum Christus Dominus, cujus imaginem arca illa ferebat, elevatus est in crucem ad pugnandum contra hostes suos, dictum est illi per Prophetas. Surge Domine, & virtute tua cuncti hostes dissipentur. Postquam autem corpus descendit in speluncam, & anima in limbum; clamabat Sponsa: Revertere Domine ad multitudinem exercitus Israel.*

De Ponte in Cant. 2. Exhor. 39. §. 1.

Finem huic Considerationi imponat B. Virgo nunc Verbo grvida, quæ in suo Magnificat inter alia & hæc Prophetico spiritu effata est: *Fecit potentiam in brachio suo. Quæres, ubi DEus hanc suam demonstravit potentiam? R. Hugo Cardinalis: Fecit potentiam in brachio suo in cruce extento: Quia diabolus superavit, captivos de inferno liberavit, & Electos omnes ad superna levavit. O sub hoc brachio & nos vivere, & mori desideramus &c.*

Luc. 1. 51. Hugo Card, hic.



### CONSIDERATIO CXLVIII.

Mala fors, pessima mors, Christum Crucifixum in vita non honorasse, non dilexisse.

*Aspicient ad me, quem confixerunt. Zach. 12. 10.*

I.

**O**lim in exitu Israel de Ægypto præcedebat Dominus electo populo suo in columna nubis & ignis, monstrans eis viam in Palæstinam: Hebræos quidem illuminans, sed Ægyptios obtenebrans, & eorum interficiens exercitum: *Jamque veniebat vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis, interfecit exercitum eorum.* Adverte hic diversum Domini Dei aspectum super pios & impios: Israelitas in maris rubri transitu dirigebat ad felicem portum, ita ut totam ejus latitudinem, quæ sex leucas continet, per dimidium noctis tricies centena hominum millia sicco pede transferint, Ægyptios verò insequentes & hostes suos in undis submersit. En duplicem Dei aspectum benignum & terrificum. Sit erit in consumatione sæculi, ac præsertim in exitu animæ nostræ ad alteram transeuntis vitam; pios pie

Exod. 13. 21.

Exod. 14. 24.

Aaaa 3

aspi-